



D. O. M. A.
DISPUTATIO VI.
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM

ILLUSTRIUM

Philosophicarum,

*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Publicè*

Proposita

PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profefs. Publ.

RESPONDENTE

Michaele Blanckio

Dantiscano Boruffo.

*Ad diem 2. Iulij in auditorio Collegij
veteris.*

WITTEBERGÆ,
*Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli
Helvwigii Anno M. DC. VIII.*





MAGNIFICO, PRU-
dentissimo, Amplissimo
Celeberrimæ Reipub.

Dantiscanæ

SENATV I,

*Hoc summæ observantiæ debitiq; officii
symbolum dico, consecro.*

MICHAEL BLANCKIVS.

Respon: & Author.



Q U Æ S T I O I.

*An ejusdem effecti plures possint esse causa
conjunctim?*



Citum † est illud Philosophi cap. 1. lib. 1. Metaph. *ἡ ἀντι-
ἀνθρώποι τὴ ἐίδεναι ὁρῶντων φύσει.* Scire verò nihil
est aliud quam rem per causas cognoscere lib. 1. post. c. 2.
Ades dum igitur, qui naturæ cupis explere desiderium, cau-
sarum investigationi totus incumbere. Methodi nescius
es? Duce sequere Logicam. Perplexitate defatigaris? Et hic scrupulus
eximetur acurato propositi *ἔντημα* & examine. Nec est cur mul-
titudine causarum deterrearis. Sunt qui plures, sunt qui unam alicui effecto
causam assignant. Eia age ponderemus aequâ judicii lance sententias: Hisce
autē præmissis. Primò uti nos impræsentiarū vocabulo effecti propriâ & ge-
nuerâ significatione, relatâ nimirū ad causam efficientem. 2. Non esse sermonē
de causis diversorū generū. Nā hoc sensu nullū ens unâ tantū causâ constat,
imprimis substantiæ naturales, sed pluribus; tam internis scilicet, quam ex-
ternis. De simplicibus notū quod habeant saltem effic: & finem, nisi formam
& materiam intelligas Metaphysicam. Vide Suarez disp: 26. s. 3. dist: 9.
Neq; etiam differendum nunc de causis ejusdem generis, diversis verò spe-
cie; sed ejusdem generis & speciei. Consule Fonseca lib. 5. Metaph: cap. 2.
quæst. 14. s. 1. Tenendū insuper causas totales si-ve principales nō partiales:
proximas non remotas hic nobis venire. Sed nec internæ litem move-
bunt. Certum est materiam non concurrere nisi recipiendo formam; duæ au-
tem materiæ diversæ rationis in essendo non possunt ad eandem formam re-
cipiendâ concurrere: quia neq; in materiis forma recipi potest. Fonseca quæst.
15. s. 4. Ab externis excludimus finem, qui multiplex esse potest alio ta-
men atq; alio respectu, docente imprimis Suarez loco dicto sect. 5. distin-
ctione ultima.

Sensus † ergo quæsti est: An ejusdem numero effecti possint simul esse
plures causa efficientes totales & aequè perfectæ. Affirmantes duobus u-
tuntur exemplis: quia, inquit, duo ignes eidem materiæ eodem modo

A 2

dispositæ

dispositæ applicatæ possunt producere plures: 2. Duo corpora lumino-
sa æqualia magnitudine, intensione lucis atq; agendi vi sunt æquè propin-
qua alicui diaphano, quod ab utrolibet illuminari potest. Sed enim vero,
largiamur hypotheses. Dubiumne enodant? nulla minus. Rem omnem tri-
bus explico verbis. Aut non eundem numero effectum produci; aut con-
currere tantum causas partiales. Prolixior est Fonseca quæst: 25. s. 3.

3 Nos † negantibus suffragamur, cum Zabarella adlocum Aristotelis
2. post. textu 93. & 95. sic argumentantes: Unius rei una est tantum defi-
nitio: E. & demonstratio & causa proxima. 2. Causa totalis est quæ
sola principatum in agendo obtinet. Si igitur sola, alia aut nihil agit, & sic
non est causa; aut actum agit, quod absurdum est auditu; nam agere est de
non esse ad esse deducere. 3. Causa per se est, à quâ per se pendet effectus.
E. duo effectus pendebunt & non pendebunt ab illis causis. Probatur illud:
quia proficiscuntur à causis æquè perfectis & totalibus: Hoc: quia alteru-
trâ sublatâ nihilominus remanebit effectus ex influxu alterius. E. à neu-
tra pendet. Plura authores prænominati suppeditabunt: quibus adjungas
etiam Pererii cap. 15. lib. 8. de rerum principiis. Progredimur ad alia ma-
joris cum momenti, tum emolumentum.

QUÆSTIO II.

Qui fit quod mare salsum est, & incendia non
tam extinguit, quàm alit?

I Etymon † maris profectum à Chaldeis statuitur. Mare enim appellant
illi Marath id est amarum. Scal. exer. 325. s. 17. Quid si arguemur, Germanos
vocem Meer etiam inde mutuatos? An meteoron sit, Philosophorum est de-
terminare. Impia Cardani vox lib. 2. Subtil. pag. 166. editionis Basil. cum ait.
quanquam non hoc Mare loco, quo nunc jacet, æternum sit, cum tamen è
mari mare fiat, æternum esse ac fuisse necessarium est, continuitate aqua-
rum. Merito igitur suo perstringitur à Scal. Ex. LI. Alii aliam causam maris
efficientem confinxerunt. Anaxagoras sudorem terræ: Diogenes primæ humi-
ditatis reliquias. Quis mentis sanæ compos alterutri astipuletur? Ethnicis
ipsis risui ludibrioz fuerunt, præsertim Arist. 2. Meteor: c. 1. quidni Christi-
anis? Christianis inquam, aliud edoctis, jussu scil. diuino Gen: 1. 10. aquas
omnes in locum unum congregatas, in quem hodieq; redeunt Eccles: 1. 7.
Nec tamen terra inundatur? Habes hîc homuncio illustre omnipotentia
diuina argumentum. Deus enim posuit arenam terminum maris & præ-
ceptum

ceptum sempiternum quod non præteribit. Ier. 5, 22. Coclenius lib. 4. dispu. phys. disp. 14. alias habet rationes. Arist: lib. 2. Met. c. 2. in ea est opinione, quod solis & superiorum corporum calor quotidie ex mari plurimum vaporum extrahat & exsiccet. Magirus in comm: lib. 4. cap. 8. phys. suæ addit hanc causam: quia flumina ad locum unde exeunt revertuntur. Quantum enim una parte accipit mare, tantumdem aliâ dimittit. At hæc ita prælibare libuit 2. Restat deinceps inquirenda ratio. Est ea fateor discussu enodatuq; perdifficilis. Quid tum? Tentando ad Trojam venire Pelasgi: sic nos ad veritatis, abstruse licet, portum. Duæ offenduntur authorum classes. Prioris nauarchus est Fr. Patritius lib. de aqua & mari: cum quo eadē navi vehuntur Danaus in phys. Conimb. tract. 10. in lib. Meteor. Arist. c. 5. pron. 2. Casmannus parte 1. problem. mar. c. 8. Horum iudicio non magis causa, cur mare salsum sit, reddi potest, quam cur ignis calidus sit, aer tenuis, & terrea solida, h. e. nulla alia, præter eam unicam, potentissimam, verissimamq; quia salsum nimirum in rerum primordio à conditore summo conditum mare est. Eum in finem ut animalibus in mari degentibus consuleretur. 2. ne aqua maris perpetuo solis calore putresceret. 3. ut eo crassius fieret mare aptiusq; ad sustinenda mercium pondera &c.

Ehodium † boni viri! Si maritam propria est salsedo, quam aquæ humiditas, igni calor &c. nunquam ab eo separari posset. Id falsum est. Nam percolatur, Philosopho teste: sicut manifesto atq; quotidiano experimento in littoribus Africæ juxta mare è si robe facta dulces hauriunt. Scal. exerc. 46. Aristoteles sect: 23. probl. 21. Cur item non asseverare liceat, posse eosdem fines sarios tectos seruari, si ve creando, si ve post demum marinam a uam Deus salierit? Quam, quæso, multa post mundi exortum evenere suorum tamen non sine privata? Annon naturales omnium elementorum delicia vitium, ut ita dicam, conceperunt? Maximo nihilominus usui sunt.

Proinde † essentialis maris proprietates non est: sed accidentalis. Pro hac evincenda multi pelago se commiserunt; classē posteriorem constituentes. Dissident verò animis. Pleriq; ajunt mare mistum esse, quocirca nihil præterea quærendum. Scaligero exerc. 51. neq; effectum hoc, neq; quod deducitur ab eo placet. Si mistum, inquit, quæram porro, cuius corporis sit propria salsedo primū: deinde in illo tunc quod nunc in mari, quæ Natura scilicet hujusce sit effectus causa. Cardanus, lib. 2. sub. tria ponit salsedinis requisita: Solis nempe calorem, quo terra uritur putrescuntq; aquæ: quod nō decurrat, ut flumina: imbresq; excipiat. Subjicitq; paulo post: Adjuvare ad maris salsuginem illius immensam vastitatē, in qua velut & in amplo terræ spacio salis montes non paucos contineri necesse est.

Ergo sale dissoluto adjuvante præcipue illo quotidiano aestu, salsum fieri mare totum contingit. Ut me tui miseret, Cardane, qui denuo veritatis naufragium fecisti. Montes comminisceris: at quos montes? Salis plurimum per pusillâ dissolvitur aquâ: unde igitur montes illi instaurabiles nascentur, quos tanta moles aquarum non absumat? unde reponetur tantundem? Sed contraho vela jubente Scaligero ex: 51.

5 Omnium ÷ optime difficultatem hanc pulchrâ eaq̃ victrix superavit industriâ Arist., cui nos quoq̃ subscribimus. Teneamus enim animo Philosophi enunciatum, Salsedinem oriri ex mistione humidâ & sicci adusti à calore, non tamen ex toto decocti. Inde arguit 2. Meteor: 3. vi solis partes tenuissimas & suavisimas maris extenuari in vaporem: crassiores autem magis q̃ adustas relinqui, & has deinde cum aqua maris permistas salsum illum & amarum saporem efficere. Corroborari vel eo sententia hæc potest argumento, quod aqua marina cum decoquitur, evaporat aqueus humor & consistens seorsim, dulcem habet saporem: partes igitur terreæ remanentes salsuginis fuerunt causa. Accedit quod mare versus Austrum & in æstate magis est salsum, quoniam sol eo tempore & loco plus vaporum dulcium extrahit. Taceo quod præpterea superficiem maris fundo salsiorem esse pronunciet Philosophus probl. sect. 23. prob. 30. Plura ad conclusionis confirmationem collegerunt Dd. Conimb, loco citato Magirus lib. 4. c. 8. Phys. sue.

6 At ÷ scin etiam quid ulterius ab aliis desideretur? Querunt, cur lacus, stagna, fluvii, non sint salsi, ut pote in quos eadem virtute sol agat? cur illa ipsa exhalatio non sit salsa? vel cur fundus maris sit salsus, quo non pertingunt radii solares? Audiamus loquentem Scaligerum, & ad singula respondentem pag. 194. Quod non contingat lacubus inquit, impedimento est dulcis aquæ successio, quâ semper exustio prohibetur. Quod in paludibus non fit sal, ratio est, quia stans putrescit aqua. Sinim non putrescet falseceret. Flumina præcipiti casu fluunt, propterea in eorû aquas sol diu & directe radiis agere & salsitudinẽ producere nequit Magirus. Ad secundam objectionẽ regetur, quod non sit exusta sicca illa evaporationis materia, haud sane satis nacta temporis, & rarior, & in regione frigidior. Beatâ verò alteram illam futurâ vitam: quæ docebit nos, quomodo fiat ab exustione salsum. Nunc enim meta intellectus nostri est. Tertiã negat: cõtrariũ q̃ pro vero & cõperto habet. Quia urinatores in vitreis vasculis dulcẽ extulerunt. Quia demissus cantarus cû operculo Cattiterinus: idq̃ operculum sublatũ funiculo, ac mox impleto vase ori restitutum. Quib̃ sane verbis viri tanti fidẽ hauri detraxerim,

destraxerim testimonio etiã Philosphi comprobatis. Quantũ tamen tribuẽ
dũ sit Patritio diversum asserenti, non nostrum est iudicare. Imo, ajunt, ratio
id largitur: nam sal est graue: igitur tendet deorsum: testemq; experien-
tiam adducunt. Dico eluisse eos experientiam. Quippe in aqua immota quã
nullus carpit sol, sal residet sicut sex: At in mari motus confundit, sol su-
perficiem depopulatur.

Atq; † hinc facile dilucidari potest, altera questionis pars, cur vi-
delicet non fluuialis nec alia potu idonea: sola tantum marina ignem poti-
us concitet quam cohibeat. Assensum suspendenti Venetiã fidem faciant,
irreparabili suo damno flammarum grassantium vim expertã, hoc etiam
anno si vera est Iacobi Franci relatio Historica. Quid? Galenus lib. 3. de
temper. c. 2. annon indicat Archimedem constitutis e regione speculis lumen
solis usq; adeo in eis collegisse ut hostium triremes in portu Syrachano e re-
gione positas incenderit. O utinam hocce nostrum seculum exemplis de-
stitueretur. Sed idem fatum perpepsi sunt Sueci Anno 1564. die 30. Maij
quorũ navis primaria Magelesa in sa villas a Danis redacta est. Et in pugna
navali Antonij quã ad Actium cum Cesarianis facta est: cum pari Mar-
te diuinus dimicatum esset, Cesar dubius quid sibi agendum foret, iussit e
castris ignem comportari, & simul undecunq; adnavigantes in aduersarios
vela ignita conjici, facesq; ardentes emitti. Sed & ollas cum carbone piceq;
refertas eminus machinis jaculabatur. Inde naues hostium accensã qui
aquã dulci potus gratiã comportatã prius: postmodum marinã usi sunt
ad extinguenda incendia. Sed miseri nihil profecerunt: quin potius ignem
irritarunt. Plura & lectu apprimẽ jucunda, scituq; digna conscripsit Camera-
rius cent. 1. oper. subc. c. 26. & cent. 2. cap. 27. Causas effecti tam admiran-
di allegavit hujusmodi Arist. section. probl. 23. probl. 7. Quia mare salsum
est, eodẽ pinguius. Quod succo salso insit. quippiam pinguis, indicium esse perhi-
bet probl. 9. quod die tepidiore oleosum quiddam secerni videamus: & probl.
15. oleum ex sale depromi possit. Nec alienus est ab hac opinione Carda-
nus, lib. 5. p. 286. ex Arriano referens. Ichthyophagos ex sale oleum ex-
cipere. Et addit: Documento est etiam quod oliuã litorẽ maris magis
gaudeant: Nam salsum solum etiam non leuiter pingue est. 2. dicit Arist.
probl. eodem, maris meatus minus congruere igni, ut qui crassiores sint, &
eodẽ magis quod salis ratio non deest. & c. Problem. 32. tertiam posert, quia
multum continet terrã, idq; ex sale colligit. At satis jam satis diu hic fuimus
detenti. Evasimus tamen ex Scylla & Charybdi tam difficili. Leui itaq; ve-
lificatione littora legendo, in portum ex alto nos recipiamus.

Quæ



Q U Æ S T I O III.

Quanam causa æstus sive fluxus & refluxus marini?

1 Sed † quantus hic quoque se offert ignorantia labyrinthus? quantus opinionum variarum oceanus? Ergone tam fatali fluctuantium mari ut imbellem nostram raticulam committamus, suades? svades. At dissuadet infelix Aristotelis præcipitium. Tradit enim Cælius Rhodiginus lect: antiq. lib. 29. c. 8. quo antiquorum testimonio nescio, Aristotelem cum dies bene multos Euripi reciprocationem contemplando transisset, causarum nescium, labore & ædiorum fessum, præcipitem se in eum dedisse, his verbis: Quandoquidem ego te comprehendere nequeo, comprende tu me. Facile deterreri possemus. Sed heus! Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile. Audendum est. Audentes Deus ipse iuvat: sententia vatis. Quamvis igitur demonstrabilis aliqua & ἐπισημῶν de insigni hac maris affectione in tam profunda mentis caligine dari vix possit cognitio: attamen non deest probabilis & εὐχάριστη, quæ tantisper retinenda, donec per ratam (si modo hic unquam acquiri queat) experientiam verior & exploratior quædam comparetur.

2 Porro † varii, quibus mare cietur, motus describuntur à DD. Conimb. tract. 10. c. 3. comm. in Meteor. Præcipui tres designantur à Scal. ex. 77. f. 3. Primus est, quatenus aqua deorsum ad aquæ locum terræ confluens. Secundus, quatenus hæc aqua id est mare. Is dicitur fluxus & refluxus. Tertius, qui verè æstus ab antiquis appellatur, quo alliduntur littora. ~~Æstus per analogiam videtur vocari~~ Vallesio in sua sacra Philof. cap. 52. perinde enim mare patitur ac si æstu caloreque ferveat. Calidum enim est & humidum. Calor fervorem ac bullitionem quandam causatur. Hinc spiritus & vapores in se creat, eosque continuè emittit & novos generat, quibus genitis attollitur & emissis residet. Ex Patritio Casmannus parte 2. problem: marin. quæst 4. Scaliger autem citato loco eum esse accidens maris perhibet, proque causa ventos habere, quibus nunc in hanc nunc in illam partem agitur pro ratione flatuum qui tunc in eo dominantur, nisi malacia seu tranquillitas adsit.

3 Majori † cum sudore laborandum est de refluxu & fluxu, cur aquæ marinæ nunc ad littus accedant nunc recedant subsideantque per senas quasque horas die ac nocte vicibus repetitis. Motum deprehendimus. Erit hic
ab alio

ab alio principio. Interno? Animâ caret mare. Ergo ab externo Scal.
ex. 52. Quodnam illud? Dicam rotundè quod sentio, Luna. Hæc recipro-
cationis causa est. At, inquis, non tangitur à luna mare: quocirca nec mo-
vetur, cum motus per contactum fiat, At inquam ego: Magnes attrahit
ferrum, si fit à lapide sine contactu, quare non sequitur mare corpus no-
bilissimi syderis? Scal.

Ponamus ꝑ sententiæ nostræ rationes. Astra in hæc inferiora agere, 4
nemo nisi sensuum experis negabit. Agunt cum luce & motu 2. de Cælo. 7.
I. Mete. 3. tum occultâ qualitate insitâ. Magirus ex Albumas. Sicut Sol
autem vires suas maximè ostentat in calidis: ita in humidis vim suam Luna
exercet. Dominatur itaq; etiam mari. Quod ipsum è luce e vincitur. Quo
maior minorve ea est, eò magis minusve maria turgescunt. In pleniluniis
adeò ut sideris desiderio seipsa suspendere videantur. Hunc sanè effectum
qui non peculiari Diluci sed solis lumini ascribendum censet, velim indicet,
cur non potius ad solem ipsum maria turgescant? ec An: quando æstivum fie-
ret intermissio. Sed & quomodo Lunam ceu ducem suam sequatur, operæ pre-
tium erit exponere. Dum Luna supra horizontem paulatim assurgit ex obliquo
radios in mare spargit, suoq; lumine calefaciens aquas marinas, exhalatio-
nes è fundo evocat, quibus dilatatis marinae aquae crescunt & intumescunt,
ita ut affluxus ad littora efficiatur. Rursus quando paulatim à meridiano
digreditur, & ad horizontem occidentalem vergit, ideoq; radios subinde ob-
liquiores per mare spargit, lumenq; minus efficax immittit, ut ita exhalationes
pauciores generentur & qui generati sunt condensentur, tum tumor
maris remittit ac subsidet ita ut refluxus efficiatur. Eodem modo fit nocte
quando luna ab occasus termino ad meridianum descendit, indeq; ad alterum
ortus terminum vergit. Atq; ita semper mare modo accedit, modo recedit
etiam secundum motum diurnum Lunæ qui in quartas est divisus, ita ut
singulis quartis sex horæ tribuantur, adeoq; & mare quater singulis die-
bus & noctibus movetur, bis fluendo bis refluxuendo. Vide Goclenium disp.
14. 15. 16. lib. 4. phys. disp. Magirus lib. 4. c. 8. phys. Peucerum de di-
vinatione: in loco de præd. Astrol. Scal. ex. 52. Imprimis Felicem Accoramboniz
in comm. Ar. de mundo. p. 455. ubi graphicè exponuntur singula, & decla-
rantur. Sicco interim præterimus pede aliorum de refluxus natura sen-
tentias. Omnium ichnographiam velut tabellulae cuidam impressam in-
venies apud Casmannum in probl. mar. parte. 2. quod te remittimus.

Constat ꝑ igitur mare à Luna moveri: Sed movisse nos Camari-
namperhibemur illorum iudicio, qui à nobis divortium faciunt, sic argu-
mentantes

B

mentantes



mentantes. Naturalis una eademque uniformis causa unum & eundem, uniformem, in uno eodemque & uniformi subiecto, effectum parit: Si itaque Luna virtutem habet movendi maria: cur non item fluvios, quippe cum mari minores sint eaque de causa facilius pati queant? Cur mare aliud aestus plane expers est, aliud magis minusve turgescit? Si adeo exacte quadras observat Luna, cur singulis diebus una hora serius fit reciprocatio? Verè verè hic ipsa philosophia balbutit, suoque comprobatur calculo illud regum sapientissimi operum DEI quae fiunt sub sole nulla dari potest cognitio. Eccles. ca. 10, 17. perfecta scilicet adeoque certa cui contradici nequeat. ἐν μέτρον καὶ ἕρπονός ποδῶν. I. Cor. 13, 9. Immo nihil scimus. Et mare ipsum citius citius, quam homo veras reciprocationis marinae causas protulerit. Sed quid absterrebit nos rei difficultas, quo minus hic quoque insanire audeamus? Deus meliora. Subsistemus ibi, quo imbecillam mentis acie pervenire non poterimus. De syllogismi igitur veritate haud dubitandum, si causa & subiectum non varientur & vel intrinsecus vel extrinsecus. Nunc in ordine ad singula. Non patiuntur fluxum & refluxum fluvii; aqua enim fluvialis tenuior est limpidioreque, ac propterea vis radiorum Lunae raro ac tenui corpori impressa figi non potest, sed sine motu & concitatione dilabitur. Maria quaedam vel omnino non, vel magis minusve hoc motu ceteri, certum est. Mari Baltico nullus contingit, tum propter angustiam littorum siue alvei: tum quia fundus frigidior ac solidior prohibet, quo minus tanta copia halituum generari possit, quanta requiritur ad aquae marinae effervescentiam, ac tumorem. Keckermannus disp. phys. 4. corol. 13. Casmannus quaest. 10. annectit plures. Balticum inquit, cum sociis Livonico, Finonico, si verum est non affluere & refluere, profunditatem in causa asseremus una quam testatur Olaus esse immensam. Altera est quia in ea maria lacus exonerantur dulcium aquarum 80, flumina vero plusquam 60, quibus dulciora necesse est fieri, & facilius frigoribus congelari, ut glacie quoque pressa attolli nequeant. Ac forte bituminosa in fundo sunt, quod succinum bituminis specie magna copia in littora fluctibus convolvant. Et tum propter easdem angustias, tum quod fundus saxeus in halitus resolvi fundique nequit agitationi accommodos, mare Ligusticum. Peucerus pag. 652. Sunt & alia, de quibus Scal. Conimbr. Accorambonus, Casmannus allegatis locis. Cur magis minusve turgeant, e contrariis causis optime elicitur. Segnior aut incitator est aliis atque aliis locis, pro fundi ratione. Vbi enim ex depressiore in altiore incumbit superficiem: ea si est paulo proclivior, praecipit agitur mare. Sin e contrario, profundior

excipit.

excipit alveus : eius impetus seipsum frangit in spacio capaci : præsertim ubi prorsum offenderit dorsum aliquod tumidius. Præterea aliquibus in locis impetuosa vis ventorum qui instant aquas remonent aquarum cursum à naturali serie, Ita ut interdum fluxum & refluxum festinare efficiat, interdum tardare: Si etiam stellæ magnæ & luminosæ, imprimis autem Venus & Iuppiter Lunæ vim augentes accesserint, fieri consuevit ut maiori aestu aspiciatur mare. Tandem quia Luna singulis diebus una hora serius oritur, quam præcedente die orta fuit, ideo unâ horâ serius incipit accessus & recessus hodie quam postridie. Habes jam causas huius motus tales quales potuerunt non debuerunt indagari. Si alicubi parciore justò videmur; fontes ipsos, è quib. rivuli hi sunt deducti, non primis modo labris degustari sed totos exhauriri velim.

17.

Quid de succino statuendum?

Succini † vox ambigua est, usurpata legitur tam in concreto quam in abstracto. In concreto significat idem, quod flavum, aureum. Accepimus enim ab Historicis capillos Sabine illius Poppeæ, (cui cuncta alia fuere præter hæc æstum animum) à Nerone adamatæ succinos de flavedine nimirum appellatos. Camer. cent. 1. c. 66. Libavius c. 26. lib. 5. Abstractè pro specie quadam bituminis. Succinum Arabibus dicitur Karabe, quod princeps Abolairapiens paleas interpretatur. Scal. exer. 104. f. 12. Græci variis rem nominibus indigitarunt. ἤλεκτρον vocant, fortassis διὰ τὴν ἡλίαν à sole, quod virtute radiorum solarium vel generetur vel ex arboribus extrahatur. Plin. lib. 37. c. 3. refert juxta mare Atlanticum esse lacum, quæ Mauri electrum nominant, qui sole excalesfactus è limo det electrum fluitans. Lege Libavium c. 1. lib. 5. partis tertiæ singularium. Latinis est Succinum, cuius notatio deducitur à Plinio, quod sit succus arboris. Germanis dicitur Börnstein à cremando & ardendo, quia crematur ardet & incensum succinum. Saxonibus enim Börnien idem est, quod brinnen/brennen. Vocatur etiam Agstein, q. Augstein / nam cervici alligatum oculorum sordes abstergere creditur. Quamvis hunc lapidem nolunt agnoscere pro succino germano & genuino M. Caspar Schütz in Chron. Prussie lib. 1. ut & plures alij: Libavius cap. 32. pag. 680. Genus † varium à variis constituitur. Sunt qui habeant pro bitumine. Rectè. Competunt enim ei genericæ bituminis notæ: ortum habet & substantiam in mineris

B 2

terra un-

terra unde vel effoditur, vel aliqua occasione profluens materialiter sub dio
 in terra vel mari perficitur. 2. Succinum transit in bitumen transit
 & in Ambram, utrumque artificio probari posse, assertit Libavius. 3. Succinum
 liquidum est minerale bituminis & seu petrolei-species. E. & concretum
 4. Colores tam varii & moles massarum & figuræ minerale esse docent & sub
 genere bituminis. Vide ea quæ collecta sunt à Libavio c. 9. pag. 467.
 Sed invenias viros magni nominis optimeque de republ: literaria meritis, qui
 ne unius quidem assis hanc sententiam æstimant, ac proinde succum arboris
 esse malunt. Ut cæteros taceam, unum omnium acutissimum nomino, prin-
 cipumque principem Scalig. exerc. 104. s. 10. inquentem: Arboris lacru-
 ma est capura ne bitumen credas, sicut succinum bitumen credidisti. Ex ar-
 boribus enim delapsum maris appulso desertur in littora, quorum arena ob-
 rutum effoditur postea eo toto tractu qui à Memet portenditur ad Bedan
 idest Dantiscum. Sed quod pace viri tanti dixerim, iniqua virgula censo-
 ria Cardanum perstringit. Nam ponderemus argumenta pro causa vege-
 tabili ab eruditis in medium prolata. Morventur. 1. auctoritate Plinii as-
 serentis gigni id ut gummi in cerasis. 2. à modo generationis & concre-
 tionis. Resina erumpit pineis abundantia humoris, densatur rigore vel te-
 pore vel mari autumnali intumescenteque æsturapitur ex insulis & ad lit-
 tora expellitur. 3. à notatione, quod veteres persuasum sibi habuerint, esse
 arboris succum, quibus non temere contradicendum. 4. ab adiuncto odore:
 Pineum in attritu odorem reddit & accensum tædæ modo ac nitore flagrat.
 5. à copia: tanta enim aliunde esse non potest quam ex arborum sylvis,
 quotannis novum succum parientibus. 6. quod invictum arbitrantur, pe-
 tunt ab araneis, formicis, muscis, aliisque id genus insectis succino contentis.
 3. Sed tamen enim vero, arbores has ferant necesse est vel littora regionis
 succino maxime abundantis, vel alterius. Non illius. Non sane Sudina
 Prussia, testibus iis, qui vel à limine incolas salutarunt, ingens tamen ibi
 copia succini, suffragante etiam Cardano lib. 5. p. 281. Quocirca Olaus &
 Socij eius arbores huiusmodi assignant Suecia, Norvegia &c. At cur hæc
 ipsa regna cum accolis succino destituuntur. Schurzius in Chron. Rationes
 adductæ citra sudorem refutantur. Nam 1. Plinij auctoritas num verita-
 ti præjudicet? erroris convincitur à Georgio Agricola & Gabelio. Deinde
 Resina in arbore sua, aut non procul, si relinquuntur, indurescunt calore
 potius quam frigore; vel etiam aeris exiccantur potestate halituosi. Non
 expectant donec per intervalla multa in mare perveniant, nisi rivis impe-
 tuosis ur-

offis urzeantur, quod ne fingas quidem in resinis. Tūm itaq; ex arboribus
& terris legendum erat succinum, imo potius quā ex mari. Succini con-
cretionem calor non adjuvat quia resoluit etiam solo affricu: sed concreti-
lis natura ex interno est principio. 3. Largiamur etymologiam, quid in-
de? Est & mineralis, est & animalis succus. Et succus pecori, canit Ma-
ro, & lac subducitur agnis. 4. Succino suus est odor, nidor, flagratio ad spe-
ciem reducta. Aliqua similitudo in una affectione identitatem substantialem
non concludit. 5. Contra se habet: tanta copia succini non esset si resina es-
set & simul lateret & effugeret artem. Magna copia picis est. Sed pix a-
perta est generationis & artem postulat. Succinum à natura absoluitur, nec
abraditur ab arboribus ullis; & est longè nobilius pice. 6. Est omnino con-
sideratione dignum: Sed nec hīc quod respondeamus deest, quamvis fortasse
non omnium consensu, quid tum? modo bonorum. Ajunt causæ arboreæ pa-
troni succino animalcula illa includi, dum pabuli causā circa arbores repūt.
Quid alij, qui è spumā maris succinum gigni autumant? Fingunt hi dulce-
dine odoris alij ad littora ubi nō nihil hæret succini tanquam ad mellis aut
mannæ pabula. Sed dum isthic lambunt fluctus appellere succinum & oc-
cupare involvereq; comprehensa ita ut eluctari nequeant. Contrarium
tamen constat nempe bitumineos halitus abigere insecta! Tutōne affirma-
re licet succum liquidum adeo suaves emitere spiritus, resolutum gra-
viter olere? Ad suffitum succini non advolant muscæ. Et quis sibi fingat in
resinam & lachrymam ab arbore destillantem guttatim, vel concrecentē
lentē admodum intrudere se per vim animalcula ista? Annon quæso obstat
lentor quo minus in medium queant pervenire? Si putant id in succino pe-
culiariter fieri, reddenda causa singularitatis, & dicendum cur non eveniat
id in aliis lachrymis arborum.

Imò † ut tandem certi quid determinemus, falsum est bestias veras 4
iis impressas. Nam raso succino ad locum illum usq; nihil apparet præter
succinum merum & solidum: non ibi ossicula, non cutes, non alæ, nec alia
membra bestiolarum. Absumuntur, inquiunt, liquidi electri acritate.
Respon. per instantiam: Asphaltum imo ne sal quidem merum id potest.
Aves scire quid de his statuendum? Libavius p. 696. & 697. statuit ex
analogia lapidis fissilis Islebiani in quo pæne omnium bestiolarum & plan-
tarum imagines visuntur, quæ sunt circa lacum ibidem, rationem esse pe-
tendam, quam tuæ committo censuræ. Potest etiam ascribi fortuitæ dispo-
sitioni quemadmodum in grandine faciem hominis referente. Vel etiam ap-

paritioni, qualia fiunt sub cœlo phasmata seu meteoræ per emphasim. Vbi sæpe id creditur esse, quod neutiquam est, nec ullam habet systasin. Causa est affectio diuersa à luce diuersimode recepta in materia nubis vel vaporum vel halituum aut aere crasso. Fingamus itaq; dum confluit succinum in æquales extitisse dispositiones secundum lineas modo in gyrum ductas, modo extentas, modo arcuatas & reflexas, & alicubi quasi concavum quid factum esse, alicubi convexum & lumen incidens à diuersis refractum alicubi coire & scintillare; alicubi refugere & veluti privationem relinquere. Inde fieri potest ut nobis imaginemur muscas, culices & alia, præsertim cū nostræ opinioni & phantasiæ aduletur visus & sese accommodet. Huic astipulantur nonnunquam etiam tincturæ & impuritates medio succino inclusæ; & multo magis diversæ consistentiæ partes mirificè commistæ. Cum itaq; introspicimus, montes & saltus & pilos videre arbitramur. Sed sunt hæc, ut ingenuè fatear, acuti quidem ingenij enunciata, non tamen omne dubitationis punctum tellentia. Agnoscitur & hic humanæ insitiæ vestigiū.

5 Ceterum † antequam finem problemati huic jucundo & utili imponam placet pauca subicere de facultate attractrice succini. Est ea diversa à gemmarū, ut vel inde patet quod gemmæ laneo panno affricatæ festucas siccas & arborum folia ad se trahunt, non vero lineorum affricu, ut succinum. Sed & à Magnetis differt, docente Cardano p. 2113. Succinum, inquit, omne leve trahit i.e. ramenta corporū leuium, foliorum, lignorū, pennas, & quod visu jucundū arenā clepsydram veluti turbine rapit: nō aerem ignem & c.) Magnes ferrum solum. 2. Succinum interposito corpore (solido sc. non aere) non movet paleas; Magnes ferrum. 3. Succinum non trahitur vicissim à palea: Magnes trahitur à ferro etiam. 4. Palea à succino in nullam partem dirigitur (certam scilicet mundi plagam) à Magnete ferrum ad Boream. Deniq; 5. succini attractio calido (non quo vis sed certo) & frictione iuvatur (imò actuatur) Magnetis eo solum quod purior pars lapidis redditur. Non etiam attrahit succinum oleo seu aquā humidatā. Ozymum à succino respui è Theophrasto Cardanus refert, ut & Peuce: Quamvis facile mihi persuaderi patiar tantæ eruditionis authores non absq; experimento id pronunciasse: tamen Scal. ex. 104. f. 12. nullibi id se legisse profitetur. Et Matthiol. testatur, sæpe se periculum fecisse, semperq; à succino ozymum attractum fuisse. Expetis à me causam amice lector? Non tibi nunc dissolvo debitū, sed bona fide interea pignori tibi relinquā ingenui candidiq; animi verbum hoc: nescio. Scal. 344. f. 10. Quin potius cum Scal. ex. 344. f. 2. confugiā ad sympathias seu salutare occultæ proprietatis asylū, ut loquitur idē Scal. ex. 218. f. 8. sub finē. Cardanus inter alias & hæc ponit causā, quod

succinum

succinum habeat humidum pingue & glutinosum, quo emisso ad levia quacunq; fertur &c. Refutatur à Scal. sed si iurandi sunt haud oppugnandi quæ nobis iecere fundamenta sapientiæ, bene cogitata haud diserte expressisse videtur Cardanus: ilq; ni fallor, sensisse, succinum spiritus habet pingues glutinosos, calentes, qui calore attenuati evehitq; prodeunt, penetrant, arripiunt: hærent glutinoso pingui non in paleis tantum sed & inter se. Ita dum coagulant in via vicissim resiliunt & secum trahunt res arreptas. Probabilis sane opinio. Lege Libanium lib. 1. cap. 11. & lib. 5. c. 25.

V.

An virtute corporum cœlestium animantia produci queant.

Vivunt & adhuc, quibus nihil æque à τὸν & absurdum videtur, atq; affirmativam questionis tueri. Cœlum, inquiunt, estne animâ præditum? Neutiquam. Quomodo igitur animata producet, cum nullum effectum excedat virtutem suæ causæ: omnisq; causa vel æquam vel majorem habeat perfectionem? Acutum sane telum: at quo se parum lædi putat Cardanus lib. 9. p. 507. Nec solum inquiens minuta, sed & majora animalia è putredine, imò omnia credendum est originem ducere. Quapropter arena se committit. antagonistas hocce scuto feriens: de muribus constat: & pisces in aquis recentibus sponte generantur: E. alia. Apage sis, Cardane, post principia stes: usq; adeo illi tuas ferre poterunt ineptias & magnifica verba, verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabis. Prodeant quibus stipatus es satellites. Nihil enim tam absurdum excogitari potest, quod patronum non inveniat. Hisce sese tegunt argumentorum clypeis: Eadem est materia generationis & nutritionis Arist. 2. de gen. c. 8. tex. 50. Sed terra suggerit materiam, qua homo nutritur, ut herbas, plantas &c: E. & generationis. 2. Cœlum potest inferre interitum homini. E. & generationem perficere, quippe oppositorum eadem est ratio. 3. Ne vitas cogantur porrigere manus, animalium in insulis à continenti disjunctissimis viventium agmine terrorem aliis incutere satagunt, quærentes unde illa ortum trahant? 4. Plinii etiam se circumvallant auctoritate pro explorato habentis equas in Lusitania animalem spiritum Favonio flante concipere, indeq; partum fieri, & gigni perniciosissimum, licet triennium vitæ non excedat. 5. Arbitrum tandem pugnae inducunt Phœnicæ avium orientaliū pulcherrimam, è cinere & ossibus parentis oriundam. Tesseram reliquorum fregit Pererius lib. 8. de rerum princ. c. 16. Nes:

2 Nos t̄ regiã incedemus viã ad neutrius partes abituri. Nec tamen pugnam detrectamus pro obtinenda generatione animalium aliquorũ, imperfectorum scilicet, per astrorum virtutem. Longo enim temporis usu deprehensum est plurima animalium absq̄ etiam coitu generari, non modo in terris, sed quoque, & potissimum quidem in mari. Anguillas ex putri uligine provenire author est Aristoteles lib. 6. de hist. animal. c. 16. Anguilla, inquit, nec per coitum procreantur, nec pariunt ova: nec verò capta unquam aliqua est, quæ aut semen genitale aut ova haberet. Meatus quoq̄ vel semini vel vulvæ accommodatos nulla rescissa ostendit. Sed hoc unum inter sanguinea genus totũ sine ovo sine coitu generatur, & c. attestante etiam Cardano lib. 9. ferme sub finem. Nam in se nihil, extra se limum quendam complexu mutuo conficere creduntur, unde proles confirmetur sc̄ris. Scal. ex. 15. Sic ex asino crabones, ex equo vespe, ex vitulo apes, sic ex aliis alia insecta, ut muscæ, culices, & c. (quæ Scal. ex. 303. f. 4. per jocum peccata naturæ vocat,) in lucem prodeunt. Cum igitur non ex semine: à cælo produci ea verisimile. Modus non omnibus idem, ut videre est apud Conimb. qu. 6. art. 2. c. 3. lib. 2. de cælo. Durandus, cum quo & DD. Conimb. faciunt, opinatur cælum conspersum quasi esse virtute seminariã productivã ejusmodi animantium. Quare ut generatio animalium ex semine ortorum ascribi solet generanti, à quo virtus ipsa in semen ipsum impressa est: ita horum animantium productionem auctori naturæ, qui eam virtutem cælo tribuit, tanquam principali causæ ascribendam esse. Et hæc sententia eò magis assensum meretur, quod ea salva integra maneat aliquot pronunciata: videl. causam æqui vocam principalem esse nobiliorem suo effectu: quod prima negat. Item. Quod vis corpus vitæ expers esse ignobilius quolibet v̄vente, quod nõ tuetur secunda De imperfectis igitur liquet.

3 Perfecta t̄ verò animantia egere proprio genitore, viz, cælesti neutiquam generari posse, vel excellens illorum natura testatum facit, quæ sane plura exigit. Quin & experientia reclamat. Si enim Bos aliquando ex putri materia ortus fuit, cur post hominum memoriam nullus extitit? De homine id asserere vel plebejus quisque Philosophus se indignũ putabit. Quomodo enim tam varia, subtilis, delicata & artificiosa tot membrorum & partium humani corporis compactio, conformatio, distinctio, figuratio ex putri materia efficiatur? Quis locus præter matricem fœminæ qui sit calidissimus non igneo sed vitali quodam colore, & ab omnibus elementorum & cæli injuriis tutissimus reperiat? Sed esto generetur; conceptus &
in lucem

in lucem editus quo alimento nutrietur & sustentabitur? profecto ni paren-
tum accederet industria, fame & siti singula hominum individua periissent.

Verum† speculemur aliorum castra. Priorum, nullum animal gene- 4
rari posse virtute caelesti arbitantium, nobis magis arrident. Et habebunt
επιμαχας, si in eo non reluctati fuerint, quod producantur: sed
non tanquam proprio & principali agente, id enim negamus una cum ipsis:
sed saltem ut causa instrumentaria & minus praecipua, quae suo effectu de-
terior esse potest. Ceteris † nuncium remittimus, eos q̄ galea Veritatis †
induti, citra pulverem fugabimus. Na nullo pane negotio tela ipsorum re-
torqueri poterunt. 1. Distinguiamus inter materiam propinquam, quae est
sanguis: & remotam, quae est herba &c. illam non hanc axioma innuit.
Taceo quod ab utraq̄ hac uisceret materia seminalis alimentari longe per-
fectior, purior, efficacior. 2. Non possunt nescire boni illi socij multo plura &
maiora praesidia necessaria esse ad generandum hominem quam ad eum cor-
rumpendum. Etenim si unum quodlibet elementorum superet caetera, pot-
est homini exitium asserre; at perspicuum est non posse hominem ex uno
elemento generari. 3. Parvipenditur ab August. lib. 16. de ciuitate Dei
c. 7. Nam bestiae hae vel post diluuium ad insulas, sed proximas, natan-
do transiuerunt: vel ab hominibus captae ad longinquas uentae uenandi
studio: vel etiam iussu diuino seu permissu eò translatae. 4. Pro anili fi-
gmento habet August. proditum q̄ hoc à scriptoribus ad significandam tan-
tam in iis locis equorum fecunditatem & multitudinem ut uento generari
uideantur. 5. Phœnix quam uel nihil uel parum ipsis profit, iam indica-
bimus. Describitur à Plinio lib. 10. nat. hist. c. 2. quod existat aquilae ma-
gnitudine, parvone pulchrior, auri fulgore circa collum, caetera purpureus,
caruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem, caput q̄ plu-
meo apice cohonestante. Ajunt ei rostrum uisistulare, unde M. sicum edat
sonum, cuius ad imitationem pastores instrumentum composuerint haud in-
sua uel Scal. ex. 233. Fertur item structo in palmae alicuius uertice ex casa,
nardo, cynamomo & myrrha nido, se super imponere, & excitato alis ad ra-
dium solis incendio in odoribus uitam finire; atq̄ ex ossium deinde medulla
vermiculum generari, inde pullum, attestante rege Æthiopiae in epistola ad
Rom. Pontif. cuius fragmenta Cosmographiae suae inseruit Munsterus. Aliis
alius generationis modus placet. At uterq̄ nobis fabulosus uidetur. Con-
firmamur testimonio asseuerantium aliquando plures fuisse uisos Phœni-
ces, nempe anno 800. U. C. Claudij principis censura: Q. Plantio Sext.

C

Papinio



Padino Coss. allatum ex Ægypto phœnicem in urbem, & comitiis propo-
 situm. Si igitur unus tantum foret, nec nisi ex demortui aut confestim mori-
 turi cineribus sanguineq; nova soboles proveniret; in hoc Romam ad-vecto
 tota Phœnicum species interisset. Nihil ergo sibi à Phœnice subsidij polliceri
 possunt. Latet t̄ adhuc post correcta Cardanus, & hic protrahendus. Ridi-
 culo sane armorū genere victus est à Scal. attamē manumissus. Quib. qua-
 so verbis? Apud Æsopum, inquit, fabulatorem muliercula commodius
 hocce tuo commento texisset adulterium: quæ è n̄ve puellum natum ma-
 rito, unde esset, quærenti prædicabat. Dixisset: è limo Cardani. Impia ac
 nefaria vox: Philosopho ingenuo ne dicam. Christiano indigna sententia,
 hominem è putredine nasci posse.

VI.

In quo consistit Heroica virtutis eminentia?

1. Cuiuslibet t̄ integrum est virtutum vel refragari vel obsequi moni-
 tis: communem verò hominum superare sortem, & ad altiora spirare, ar-
 duum imprimis est, & peculiari Numinis instinctu contingit. Atq; hinc
 nescio quæ ethnicorum animis suborta fuit suspicio, ut crederent non nisi De-
 orum domui suæ natorum concubitu cum mortalibus, heroes progigni. Se-
 mideos propterea appellârunt. Quamvis, si conjecturâ quid certi colligere
 licet, exprimere huiusmodi figmento maluisse videntur, singulari rerum di-
 vinarum desiderio & amore teneri debere heroes, & quam proximè ad
 Dei naturam accedere, vel virtutum nitore Deum ipsum representare.
 Id ipsum & nomen Herois præ se fert, quod ἥρωϊσ τὸ ἐπὶ & deriva-
 um existimat Keck. lib. 3. Eth. syst. salvo aliorum iudicio.

2. Dependet t̄ igitur virtutis Heroicæ eminentia à fine. Piccolhom.
 gradu 6. c. 3. Phil. moralis. Finis autem consideratur vel respectu præ-
 sentis, vel futuræ vitæ. Si ergo imprimis titulum herois merentur, qui
 mundana despectui habent, alteram illam æternam felicitatem anhelant,
 utq; voti compotes fiant extrema quæque patiuntur. Pertinent huc viri
 religionis sinceritate morum vitæq; integritate præ reliquis insignes, Mar-
 tyres intelligo. Quos tamen ecclesiastici sermonis usus non permittit heroes
 appellare, inquit Augustin. lib. 10. de civitate Dei: nam nomen illud ina-

nem



nem quandam gentiliū gloriā prae se ferre videtur, à qua toti ab-
horruerunt. Quod † si oculos in heros hujus vitæ respectu dictos con-
vertimus, erunt hi duplicis generis, propriè scilicet vel minus propriè ita
vppellati. Propriè hunc titulum sibi vendicant, qui virtutum moralium
gemmae, praesertim difficilium, coruscant, & quidem illarum quæ homi-
ni vires excedere, divinamq; facultatem exposcere videntur. Nam licet
non negem, posse in omnibus virtutib. heroicam effulgere, nescio tamen
quomodo vehementius luceat in Iustitia universali, Fortitudine, Tempe-
rantia & Magnificentia. Exempla obvia sunt in Piccol: & Keckerm: nec
non aliorum scriptis ethicis. Minus propriè in album heroum (præcipuè ab
eminentia virtutum moralium sic dictorum) referuntur artifices præcla-
ri, qui insigne aliquod beneficium in genus humanum contulerunt, propte-
rsa quod singulari quodam Dei amore fuerint affecti.

VII.

*An teneamur semper omni loco & tem-
pore vera dicere?*

Hic † omni nervorum impetu cavendum ne de Veritate disputaturi &
falsa in proscenium eruditorum proferamus. Magni sane viri affirmatè
respondent, suffulti auctoritate sacrarum literarum. Præcipit enim ipse
Salvator Matth. 5, 37. ut sermo noster sit EST EST: NON NON.
Ephes. 4, vers. 25. Deponite mendacium, veritatem loquimini quisq;
cum proximo suo. Zach. 8, vers. 16. eadem serè leguntur verba. Colos. 3,
vers. 9. Nolite mentiri in vicem &c. E quibus locis colligitur nihil o-
mnino dissimulandum, sed rem prout se habet, exponendam, neglectà cir-
cumstantiarum loci, temporis, & personarum ratioe.

Sed † secundum quid tantum dicta hæc accipi debere, documento 2
sit regula vitæ discipulis Matth. 10, v. 16. præscripta: Estote prudentes
sicut serpentes: & Mat. 7, v. 6. Nolite gemmas objicere porcis. Quà de
causa distinctè respondendum est, his præsuppositis hypotesibus. 1. Si que-
stio decernat DEI O. M. honorem, religionem, conscientiam, fidemq;
alicui datam: non musitare, & ne latum quidem unguem à verò discedere
debet.

debet. Matt. 10, 32. Apoc. 3, 16. Et passim alibi. Nullam igitur excusa-
tionem admittit D. Petrus, dum Christum abnegat. [Neq[ue] etiam excusanda
sed execranda est Apostatarum colluctio, cum omnibus, qui vel metu in-
famiae, vel periculorum consequentium multitudine perterriti, foro sese ac-
commodant, et fidei rationem petentibus recusant. Iesuitarum hic notemus
κατασκευαστας: qui discipulis ipsorum institutioni commissis sedulo in-
culcare solent, ut à parentibus interrogati; num Iesuiticam amplexi sint re-
ligionem: negent imò pernegent hoc animo tenentes: non adductus sum illi
religionem sc. illis erroribus qui Pontificiis affinguntur. Hæc nimirum sunt
Lajoliticæ pietatis præcepta quib. teneras adolescentulorum animulas im-
buunt! Et tamen eas lethali hoc veneno infici conceditis parentes? heu
vultis etiam! Vanis gnatonum istiusmodi assentatiunculis decepti. Pœni-
teat, pigeat, pudeat tandem vos imprudentiæ vestræ: aut apertis atq[ue] adeo
juratis Dei hostibus etiam filiolos committite, cum nec hi erroris accusari
velint. Hæc prima cautio. II. Vbi manifestatio spontanea peccatum esset,
non est mendacium figuratè aliud dicere aut ostendere, sed licet uti figuris
quæ tegunt negotia. Dominus Chemnitius parte 2. loc. com. pag. 235. Non
igitur improbat in sacris illud mulieris factum, 2. Sam. 17. v. 19. quæ
Jonathanem et Achamaam in puteo delitescentes, velamine super eos ex-
panso à truculentis hostium manib. libera vit. Plura exempla recensentur
pag. 233. III. Occultatio, quæ adhibetur ob justam et honestam causam,
in rebus, quas dicere non est necessarium, haud rejicienda. Non enim vio-
landa sunt leges Taciturnitatis quæ æquè est virtus ac Veracitas. Sum-
maq[ue] esset imprudentia Cõsiliarij aut Senatoris, decreta Senatus alicui aperi-
entis, eo prætextu ut mendacij suspicionem effugiat; quippe pugnaret ista
veritas cum conscientia et taciturnitate atq[ue] adeo cum juramento Cõsili-
arij et deniq[ue] cum bono publico. IV. Non tenemur semper omne verum
dicere, si maximè teneamur partem veri dicere. Keckerm. p. 290. System.
Ethici. Vbi exemplum recitat Athanasii. Refertur huc etiam exemplum
Abrahami Gen. 12. ab Augustino: Sed improbane C. L. Gesnero p. m. in
comm. super illud caput.

VIII.

An idem sit mentiri et falsa dicere?

I. Periculose et sunt, inquit D. Chemnitius, generales mendacij descri-
ptiones, cum idem esse fertur, quàm non dicere veritatem. Breuiter igitur
distinguiamus;

distinguiamus cum Scal. ex: 2. Non falsa dicit qui se putat fera dicere. Nam
falsitas, ut inquit Keckerman. c. 9. lib. 2. p. 294. rem ipsam respicit: memo-
rii autem respicit propositum & voluntatis virtuti morali contrarium. Est
enim mendacium, Augustino desinente, falsa vocis significatio cum volun-
tate seu intentione fallendi. Sic e. g. nullatenus mendacij coargui potest, qui
literis amici certior factus de obitu imperatoris Romani: aliis quoque idem
confirmat cum tamen diversum temporis diuturnitate doceatur.

Addimus ꝑ coronidis loco characteres mendacij in sacris prohibiti. 2.
Primo, inquit Chemnitius, necessum est: ut falsum proferatur: 2. ut fiat
hoc duplici corde, Psal. 12. v. 3. id est, quando conscientia persuasa est esse
falsum, quod veritate profertur. 3. ut fiat cum voluntate seu intentione
decipiendi. 4. Mendacium est etiam cum non adest voluntas nocendi, quan-
do ex vanitate ingenij dicitur, nec habet probabilem & honestam causam.
Talia sunt mendacia adulatorum & jactabundorum, & similia.

XX.

An peregrini jure civitatis donandi?

Multi ꝑ nec tamen e multis illi rerumpub: antistites ne inter apia quidem
peregrinos grassari patiuntur; cedere eos; & terram, qua nutriti & educati
sunt, incolere jubent. Hi justo severiores, & vel Iustitiae vel ipsius etiam Humani-
tatis obliti videntur aliis, propterea quod firmiter memoria tenendum, nos
quoque in hoc exulare mundo, nec civitatem permanentem habere Hebr. 13. v. 14:
sed ~~nostra~~ nostrum in caelis esse Phil. 3. v. 20. Quod ergo cupimus fieri nobis,
utpote eandem fortunam vel expertis vel certe experturis, aliis ne denegemus.
Et eo quidem minus, quod magis id Deo placere, in comperto habemus. Sol,
luna, sidera, elementa, & omnia haec saecula animantium parent non invita & ob-
audiunt supremo illi Deo: nobilissimum rerum homo solus in conditorem suum
talces jaciatur & resistat? Atqui hic ubique passim, imprimis Levit. 19, 33, 34. ta-
le praecipit Iudaeis dedit, Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus
fuerit inter vos, ne exprobetis ei: sed sit inter vos quasi indigena & diligetis eum
sicut vosmet ipsos. Cur non dissimile est illud Exodi 22, vers. 21. Ezech. 47, 22.

Sed ꝑ nec ab hac sententia alieni sunt D. Patres: nec multi eruditorum. 2.
Cassiodorus lib. 5. ep. 9. Pietate, inquit, plenum est peregrinam gentem pu-
blicis officiis obligare, & non tantum sympatriotas ad substantiae lucra admit-
tere, quantum ipsos quoque advenas invitare. Taceamus ne ethnicorum saniorum
judicia? Audi Horatium lib. 2. od. 13. qui descripturus scelestissimum, illum, in-

C 3.

quit.

quit, parentis crediderim sui Fregisse cervicem & penetrata sparsisse nocturno
cruore Hospitis, &c. Quid ꝑ plura? cum ipsa Natura id, quod volumus, in-
culcet, Arist. teste cap. 1. lib. 8. eth. Sed omnium maxumè alliciunt peregri-
nos commoda & beneficia quibus haud raro Rempub: affectere. Vix enim per-
suaderi nobis patiemur inveniri posse quemquam historiarum adeo imperitū, ut
negare ausit alienigenæ unius atq; alterius consilio fide & auxilio vitam civi-
um fuisse prorogata. Anne neget Ebedmelech Æthiopis operâ vincula Ieremi-
am exutum? Jer. 38. Iosephi & aliorum scientes volentes obliviscimur. Est
& hoc in confesso primum augmentū rebus Romanis attulisse Sabinos, eas Nu-
mam legibus confirmasse, Appium & Tarquinium opibus suis auxisse, Vindictium
servum à proditione præservasse, &c. Ut omnino veris veriora Cicero dixisse vi-
deatur, multum ad imperii augmentum profuisse quod civitas etiam hostibus
aperta fuerit. Quod si majorum nostrorum tempora perpendimus, experimur
Richardum regem Angliæ Londinum brevi ampliasse dum peregrinis decenni-
um illic habitantibus jura civitatis attribueret. Casimirum Magnum Polo-
niam frequentiore & cultiore redidisse, cum Teutonas cum jure suo in duce-
ret. His & aliis utuntur argumentis peregrinorum fautores. Ceterum ꝑ sunt
& à parte contraria stantibus pariter ferè momanti & vigoris rationes. Si e-
nim, inquiunt, peregrinis propterea benefaciendum, quia sæpe nobis benefaci-
unt: multò igitur magis civibus, quia hi tum vitâ, tum opibus, tum omni eo,
quicquid possident rempub: sibi obligarunt. Addunt: Indignum esse ex pro-
miscuâ potius hominum colluctatione multos colligere, quàm primas &
antiquissimas familias cõservare. Indignum verò? imò & illicitum. Ma-
gistratus enim boni est cum auxilia Reipub: labefactari convellique videat,
ferre opem patriæ, succurrere salutem fortunisq; civium, suam salutem po-
steriorem salutem communi ducere, intercludere omnes dissensionum vias, ut
elegantè juxta & verè Cicero pro Rab: refert. Viden' eo ipso peregrinos
urbe prohiberi? Non video, inquis. En plenior & planior legis Cice-
ronianæ explicationem. Quid altissima civitatum mania citius ab ipsis fun-
damentis concutit, quid monumeta antiquitatis & ornameta pacis furentius
invadit quàm seditio? Hæc nunquã concepta est sine pernicie matris, nun-
quam parta sine naufragio civitatis. O quàm fugienda igitur. Casus lib. 5.
c. 1. sph: Civ. Verendum autem ne vel sola exterorum turba immanis
reipub: turbo fiat. Diversarum enim nationum diversa sunt ingenia: ut le-
pidis exemplis probat Richterus ax: pol. 383. Ut ꝑ igitur regionum mores
diversi sunt: sic & inde nati diversum habent morum habitum & ratio-

rem; & proinde non possunt simul convenire sine aliqua antipathia: quæ tandem aliquando excitant in repub: motus & seditiones & lesionem vel subversionem consueti status. Elati, superbi, bellis asueti, pacificis & mansuetis vim inferunt, &c. Idem ax: 384. Nec facile malum hoc avertuncare poterunt indigenæ, quoquo tandem modo rem aggrediantur. Iure civitatis n. donati exteri, nō regi, non juberi, sed suis asueti legibus omnia exhibere agere solent. Si autem antiquarum familiarum ciues præferri sibi viderint, turbas illico concitabant, ex eo quod contrarium videatur, civitatis jus communicare: & nihilominus eos à muneribus & honoribus excludere ut minus fidos. Rerum potiti eo quo par est amore ciues non complectentur. Naturâ enim ita comparatum est, ut majori benèvolentia nostros quam extraneos (pro quibus habentur ciues ab advenis) prosequamur. Præterquam quod nasci & educari iisdem legibus maximum inter bonos amicitia vinculum est: semper tamen in nostris vel sanguinis, vel confæderationis, vel Amicitia, vel officiorum ratione obligatio invenitur. Huc adde quod sicut locustæ segeti sunt, ita sunt advenæ civitati: nam ut illæ vastant & consumunt granum segetis: ita hi fructum civitatis vorant. Casus lib. 5. c. 3. sph: civ. Et nondum malorum finis est. Nam illud quoque accedit quod si numero opibus ve peregrini creverint, civib. idem metuedum sit de his quod Viperæ & Esopice de Erinacio. Exempli ob oculos ponit Aristoteles lib. 5. pol. c. 3. ut Troezeniorum cum quibus olim Achi vi Sybarim augustissimam civitatem coluerunt, qui tandem in numerum immensum aucti Troezenios Sybari ejecerunt, unde scelus Sybariticum natum est. Vide authores citatos, dictis locis. Atq; hæc causæ peregrinorum obesse visa sunt. Ut igitur tandem certi quid determinetur: svademus jus civitatis non temere; sed cum demum peregrinis concedendum esse, cum id manifesta reipub. utilitas, amplificatio, cultura & exornatio admittit. Kerkerm. syst. pol. pag. 377. Si scilicet magna civium penuria, si peregrini boni viri, si præter meritum miseri, si amici nationis, præsertim si religionis vere gratiâ solum vertere jussit. Eâ tamen lege ne senatus, judicii, imperii participes fiant: ne illorum numerus & vires ultra modum crescat. Casus lib. 5. c. 3.

X.


An Iudæi in rebus publicis benè constitutis sint tolerandi?

Quos gentis Judaicæ miseriarum miserescit, Judæos salvâ conscientia hæud posse expelli ducunt dicuntq;. Persuasi primùm autoritate SS. literarū, ut Psal.

at Psal. 59, v. 11. imprimis verò illorum locorum, qui Judæorum ad Christum conversionem haud obscure prædicunt, ut ad Rom. 11, v. 25, 26. Fortè autem hanc impedit nostra in eos inhumanitas & crudelitas. Nam Fides ex auditu, quomodo audiant nisi communi nobiscum arâ focoque; fruantur? Præterea de autoritate & veritate librorum V. T. testes sunt locupletissimi, concredita enim illis τὰ λόγια τῆς γῆς, unde non infertè Christianæ Ecclesiæ thesaurarij dicuntur *Aug. lib. de doct. Christ.* Illud etiam incredibile Christianorum detrimèto probatum est, referente *Camer. cap. 89. cent. 1. op. sub.*, centum millia utriusque sexus Judæorum è regni Lusitanici finibus excedere jussorum, tempore Emanuelis, sese catervatim cum suis familiis & reb. quas exportare poterant, ad Turcas contulisse, & tum varia artificia, tum etiam perfectiorem usum machinarum bellicarum, aliarumque rerum, quibus antea barbara ista gens destituta fuerat, attulisse. Accedunt & statuta laudatissimorum Principum, celeberrimorum regnorum, illustrium rerumpub. *Boleslaus*, Dux majoris Poloniae Anno 1264. Judæos veris subditis æquavit. In Italia quoque & Hispania certæ sedes Judæis conceduntur: nec non Praga, Francofurti ad Mœnum, & aliis in locis. Atque hæc sunt rationes quibus patroni Judæorum militant.

2 Qui diversam animam sententiam fovent, his de causis aqua & igne iis interdicitur. Quia Judæi odio plus quam Vatiniano, plus quam diabolico Christianos prosequuntur. Sexcenta calumniarum & blasphemiarum plaustra foetido suo ore in virginem *θεοτόκον* evomunt. Terram ter conspuunt (horresco referens) Christum nominantes: in privatis colloquiis addunt; deleant nomen ejus. *Dominus Lutherus contra Judæos libello.* In more ipsis positum, quotannis eod. die, quo Salvator mortem crucis perpessus est, puerum Christianum in specu subterraneo occidere. Nihil aequè usitatum iis est ac plagium, Scelus suppliciorum gravissimo perdignum. Nec homicidium esse tradunt si Judæus gentilem occidat: neque perjurium si promissum etiam juramento confirmatum non servet. De obstinatis & seditiosis Judæorum actionibus multa eaque egregia in unum veluti fasciculum collegit *Camer. part. 1. Oper. sub. c. 42.* Quis demum sine lacrimis exponat inusitata illa astutiarum genera quibus horrendum avaritiæ barathrum explere fatagunt? Non igitur à stulto adagium hoc originem traxit: *Felix respub. in qua non est Abraham, Nimrod & Naaman.* Tantum de negantium argumentis. Nos tamen ut nec nimis torqueri, ita nec simpliciter admitti eos debere pronunciamus; sed tenendæ sunt leges cum generales tum speciales. Generalis est, ut secundum statuta seu jus istius loci pacificè, tranquillè & sine scandalo Christianorum vivant. Specialis vel Ecclesiastica est vel politica. Ecclesiasticæ sunt, ne novas synagogas sine permisso magistratus extruant, ne Christum maledictis poscendant, ne Christianorum religionem contempnant ne homines nostros ad suam religionem traducant, ne Judæum ad Christianismum transire volentem prohibeant, ut impiis dogmatibus de mortalitate animarum &c. ac traditionibus renuntient. Politicæ sunt: ne cum Christianis matrimonium contrahant, ne immoderatas usuras aliosque illicitos contractus exercent, ut causæ eorum coram magistratu loci disceptentur, ut signo certo à Christianis dignoscantur. Hisce ita observatis, absque omni periculis metu tolerari poterunt.









B.I.G.

Farbkarte #13



5 f

D. O. M. A.
DISPUTATIO VI.
Centuriæ Quintæ
QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM
Philosophicarum,
*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Publicè*
Proposita
PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
RESPONDENTE
Michaele Blanckio
Dantiscano Boruffo.
*Ad diem 2. Iulij in auditorio Collegij
veteris.*

WITEBERGÆ,
*Typis Martini Henckelij, Impensis Pauli
Helwigij Anno M. D. C. VIII.*

